

DISSERTATIO THEOLOGICA
De
**BONORUM OPE-
RUM MERITIS,**

Pontificiorum erroribus opposita,

Quam
CHRISTO GUBERNANTE,

Superiorum jussu,

Pro obtinenda in SS. Theologia Licentia
publico examini

In

*Illustri Lipsiensium Academia
die V. & VI. Februar.*

Subjicit

**M. CHRISTIANUS Groß/ VVitteberg. ad D.
Mariæ Stetini Archidiaconus & SS. Theologiæ ac He-
brææ lingvæ in Pædagogio Ducali Professor
designatus,**

L I P S I Æ

Imprimebat Henning. Köler.

ANNO M. DC. XXXIV.

TMD 111



**ILLUSTRISSIMO, CELSISSIMO
AC REVERENDISSIMO**

Principi & Domino,

Dn. BOGISLAO,


**Duci Stetini Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorum,
Principi Rugiæ, Comiti Gutzcoæ, Terrarum Leoburgensium & Butoviensium Dinastiæ, Principi ac
Domino suo clementissimo,**

*Hanc dissertationem Theologicam in
debita gratitudinis & humilimæ ob-
servantiæ monumentum*

Offert & consecrat

M. CHRISTIANUS Groß/

**ad D. Mariæ Stetini Archidiaconus,
& Pædagogii Ducalis Professor
designatus,**



IN NOMINE JESU.

I.

Humanae mentes semper gravissimè exercentur hac quæstione: τι ἔν ὁ νόμος, ad quid Lex? Gal. 3. 19. cur tulit Deus tanta majestate Legem suam? quid profunt bona opera? quis eorum finis & effectus? quæ manent præmia pietatem & virtutem?

II. Quia autem Legis doctrina in primæva creatione mentibus humanis est inscripta, eaq; adhuc valde licet debilitata in animis aliquam partem obtineat, adeò ut gentes naturâ, quæ Legis sunt, faciant, & sic ostendant, opus legis scriptum esse in cordibus suis, ij qui sunt in hoc mundo præcipui, qui iter ad bonam mentem, ad tranquillitatem animi, ad gloriam, ad immortalitatem, ad DEUM deniq; ipsum instituunt, ex ratione sua naturali nec possunt nec solent aliter judicare, quam legem ad justitiam & vitam esse datum, seq; faciendo mereri ac consequi veram æternamq; beatitudinem.

III. Hoc est præcipuum Θεβνημα τ̄ σαφνός, summa sapientia hujus mundi, cujus professore dicuntur esse ex lege, ex operibus, operantes, justitiarum &c. de quibus Apostolus Paulus ait: quod velint τὴν ιδίαν δικαιοσύνην ἠσῆσαι. Rom. 10. 3. quod acquiescant in lege, & glorientur in DEO, quod confidant se esse duces cæcorum, lumen intenebris versantium &c. Rom. 2. vers. 17. & 19.

IV. In hac sententia hærent omnes homines, omnes cætus, omnes Religiones, quibus non verè innotuit Evangelium de Je-

su Christo. *Ingens illa in veteri Testamento gentium multitudine, doctissimorum philosophorum caterva, hoc tempore Pagani, Iudei, Turca, Photiniani, Pontificii, Anabaptistae, omnes in lege & operibus quaerunt justitiam & vitam, quamvis haec religio in his, alia in aliis operibus sit occupata.*

V. Huic hominum generi prorsus absurda & nulla ratione ferenda videtur concio, quando cum Filio DEI & Apostolis sanctis illi predicamus: Lex propter transgressiones lata est, Gal. 3. 19. Lex iram operatur, Rom. 4. vers. 15. facit abundare peccatum, Rom. 7. 13. Non potest vivificare, sed est ministerium mortis & condemnationis. 2. Cor. 3. v. 2. & 9. Qui sub lege sunt, sub maledicto sunt, Gal. 3. 10. Ex gratia excidunt, qui lege volunt justificari, Gal. 5. 4. Gratia sine operibus salvamur, Rom. 4. 5. Non operanti, sed credenti. Hec est illa doctrina quam ferre mundus nequit, de qua clamat quod bona opera prohibeat, Resp. conturbet, & omnis mali causa unica existat. Propterea fremunt gentes, & homines loquuntur inane, conveniunt reges terrae, & principes una consultant: dirumpamus haec vincula, projiciamus funes istos, Psal. 2.

VI. Maximi igitur certaminis res est, hanc Apostolicam veritatem contra mundi & legis sapientiam tueri; haec enim non modo rationi amica, sed & ingenti hominum copia & confessorum sapientia, sanctitate, virtute & potentia munita; illa contra rationi ignota & inimica est, paucis probatur, cruce & calamitatibus ubiq; mirum in modum premitur.

VII. Nos hac vice gravissimam hanc questionem dispiciemus, & de fine legis, de bonorum operum meritis, finibus seu effectis clarè & perspicuè, breviter tamen, pro instituti ratione ex verbo DEI explicabimus. Rogamus autem Filium DEI, sedentem ad dextram Patris, & colligentem sibi adhuc inter nos Ecclesiam, ut suo Spiritu sancto mentem nostram in caelestem veritatem ducere velit,

VIII

✓ III. *Quia autem in docendo res non nudè in sua natura sensibus ac menti offerri possunt, sed per certos terminos ac voces tanquam per signa proponuntur; manifestum est, diligentem terminorum cognitionem in omni materia esse summopere necessariam, ideoq; ante omnia terminos quosdam in hac disceptatione precipuos esse explanandos, ne eorum ambiguitate decipiamur.*

IX. *Vox, bona opera, non uno modo accipitur. 1. Interdù specialiter usurpatur pro certa specie à γὰρ ἀγαθοεργίας, nempe pro liberalitate & beneficentia in pauperes Actor. 9. 36. 1. Tim. 5. 10. 2. Interdum significat externas hominis actiones, cum lege DEI convenientes, etsi earum principium internum originali & actuali immunditie sit pollutum. 3. Nonnunquam effecta notat, quæ post ipsas actiones honestas permanent. plerumq; verò 4. Totam renatorum obedientiam ac vitæ novitatem, Eph. 2. 10. Tit. 2. 14. quæ tam internam, quàm externam, tam habitualem, quàm actualem justitiam, non solum externas actiones, sed etiam internas qualitates, operationes mentis motusq; voluntatis complectitur. In hoc significatu bona opera sunt aggregatum quoddam accidens ex habitu & actionibus animæ tam internis, quàm externis. Quod totum aliàs in sacris literis vocatur donum per gratiam. Rom. 5. 15. novitas vitæ, Rom. 6. 7. novus homo. Ephes. 2. 15. justitia bonæ conscientiæ. Rom. 9. 1. opera legis Gal. 2. 16. justitia ex lege Phil. 3. 9. εὐσέβεια, θεοσεβεία. 1 Tim. 2. 2. fructus pœnitentiæ, spiritus, fidei &c. Pontificii vocant charitatem, infusam ac inherentem justitiam.*

X. *Ceterùm & illud notandum est, justitiam humanam diversam esse & diversimodè accipi. Datur enim*

1. *Justitia particularis commutativa & distributiva, quæ tantùm est species quædam bonorum operum.*

A 3

2. Hypo-

2. Hypocritica, Pharisæica, externa, convenientia scilicet actionum externarum cum lege D E I.

3. Philosophica & universalis, cujus norma est lex natura seu recta ratio, species verò virtutes morales, de quibus Ethici. Sed quia hæc justitia potissimum spectat præcepta secundæ tabulæ, de præceptis primæ tabulæ & de cultu veri D E I nihil novit, describitur quoq; potius à Philosophis, quam habetur, & est plane imperfecta, hujus considerationis non est.

4. Christiana, quam verè pii & renati ex novis viribus D E O suo præstare debent & possunt. Sed hanc Christianis inhaerentem justitiam aliter nos, aliter Pontificii definiunt. Nos enim ad eam requirimus fidem, quæ Christum cum omnibus suis beneficiis apprehendat, & statuatur, personam jam, statum & opera D E O placere in Christo; deinde & expressum mandatum D E I, quod illius justitiæ opera describat & à nobis exigat. Pontificii illam fidem rejiciunt, relinquunt hominem in dubitatione, nec saltem D E I mandata, verùm etiam pontificis decreta ejusdem normam constituunt.

XI. Vocabula mereri & meritum non carent omni ambiguitate. Meritum enim 1. sumitur latè pro aliquo beneficio & dono, quod gratis consequimur. 2. Strictè, pro laboribus aut officiis ex condigno aliquid merentibus. Sic mereri notat interdum aliquod donum gratis consequi; interdum verò pretium debitum ex condigno acquirere. Extra dubium ergo est, merita actiones esse, & homines agendo mereri. Non omnis autem actio est meritoria, sed illa demum, quæ est propria, nostra, ex nostris viribus profecta: quæ indebita est & libera: quæq; æqualis est dignitate illi mercedi, quæ pro actione ista redditur.

XII. Pontificii vocem meriti aliàs de ipsis bonis operibus, aliàs de eorum præmiis accipiunt. Meritum pro opere acceptum est actio, quæ fit, ut ei, qui agit, sit iustum aliquid dari, Summa
Angel.

Angel. tit. de merito. Tale meritum duplex constituunt, de congruo, & de condigno. Meritum de congruo ipsis est actio bona ante gratiam ex virtute liberi arbitrii facta, impetrans primam gratiam, sed ex liberalitate acceptantis. Meritum de condigno est actio consequens gratiam, ex vi motionis divinae, impetrans augmentum gratiae & iustitiae adeoque ipsam vitam aeternam ex debito premiantis.

XIII. Præterea sæpe in hac controversia occurrunt alii termini, qui quid nobis & adversæ parti notent, non incommodè hic quoque exponemus. Freqventer Nostrates distinguunt inter ipsam vitam aeternam, & gloriæ aeternæ gradus. Vita aeterna, quæ & gloria essentialis, bona essentialia & communia, essentia vitæ aeternæ dicitur, erit illa perfectio animæ & corporis beata DEI visio & fructio, quæ omnibus piis, ex gratia, in Christo, per fidem æqualiter contingit. Gradus autem gloriæ, præmia in vita aeterna, præmia & bona accidentalia eruat peculiare qualitates & honores, qui non omnibus piis æqualiter, sed diversis secundum diversos labores passionem & officia distribuentur.

XIV. Sed & hæc observatio habet suas utilitates, cum inter bona Christianorum essentialia & communia, quæ æqualiter omnibus in Christum credentibus communicantur, ut sunt gratia DEI, peccatorum remissio, iustitiæ imputatio, renovatio & salus aeterna; & accidentalia vel particularia, quæ inæqualiter, pro conditione laborum conferuntur, distinguitur.

XV. Per præmia in hac vita nos intelligimus spiritualia & corporalia bona, augmentum donorum spiritualium, lucis, sapientiæ, sanctitatis & tranquillitatis, successum felicem officii, divitiarum, honores, sanitatem, felix conjugium, &c.

XVI.

XVI. Prima gratia & justificatio Pontificiis saepe sunt Synonyma. Est autē ipsis justificatio mutatio hominis, qua peccatū eius remittitur, evellitur, expellitur, & contra justitia seu sanctitas infunditur. Sicut calefactio, qua quis ex frigido fit calidus, continet duas partes, depulsionem frigoris & acquisitionem caloris Beccan. part. 1. Theol. Schol. tract. 4. c. 3. qu. 2.

XVII. Hisce, quæ ad perspicuam quæstionis presentis dijudicationem facere videbantur, præmissis, ad status formationem accedemus cujus in omni disputatione ratio accuratissimè haberi debet.

XVIII. Certum autem est, justitiam externorum operum, Philosophicam, & disciplinam rationis, & si DEO probetur suo modo, & præmia nonnulla temporalia consequatur, gratiam & vitam tamen non mereri. Non enim procedit ex fide & corde renato, est præterea imperfectissima, quædam secundæ tabulæ officia continens, de cultu DEO præstando parum vel nihil est sollicita.

XIX. Nos hic cum pontificiis agemus, & iis hominibus, qui amplectuntur verbum DEI, accenseriq; veræ Ecclesiæ cupiunt. Ideo de verè piorum ac renatorum novitate ac sanctitate querimus, de verè bonis Christianorum operibus, quæ ab iis impulsu Spiritus S. in vera fide juxta voluntatem ac legem DEI perpetrantur.

XX. Ne hic quæstio est, an Renati debeant in studio bonorum operum se exercere. Ecclesiæ enim magno consensu apud nos docent, quod fides debeat bonos fructos parere, & quod oporteat bona opera mandata à DEO facere, ut toties hæctenus contra calumnias Pontificiorum protestati sumus; sed de fine & effectis operum queritur, quid ea & quomodo à DEO consequantur, de qua re mentem nostram sequentibus axiomatibus declaramus.

XXI. Omnis Christianus & verè pius in regeneratione, qua
fides

fides in Christum in eo accenditur, & ipse hac ratione justificatur, accipit Spiritum sanctum & ab illo spiritu novas spirituales, & cœlestes animæ qualitates, unde non manet otiosus, sed ex hisce novis viribus novam sanctamq; vitam agit, crucifigit carnem cum concupiscentiis suis, deponit veterem hominem, detestatur ac fugit peccata, amat justitiam, diligit DEUM & proximum, vivit piè, justè & sobriè, & est studiosus bonorum operum, velut arbor plantata ad rivum aquarum fert fructum suum tempore suo Psal. I.

XXII. Homo renatus sua sanctitate & bonis operibus non consequitur gratiam DEI justificantem, adoptionem aut vitam æternam nec hac spe atqve opinione ullum bonum opus suscipere debet. Sed illa omnia, totum regnum cœlorum consecutus est fide, seu apprehendendo illud sine operibus, ex gratia in Christo Jesu. Ideoque semper est certus ante opus bonum, & in omni opere bono, quod jam obtinuerit & possideat gratiam DEI & vitam gratis in Christo donatam, fideq; apprehensam, neq; anxius cogitat & laborat de consequenda gratia per opera, sed jam certus & erectus fide de acquisita gratia operatur spiritu hilari & spontaneo.

XXIII. Gravissimum quidem certamen est, mentem ab hac opinione deducere, quæ sperat gratiam propter opera, sed annitendum est Christiano, & quando is dubitat de gratia, vel sentit, se verè gratia excidisse, non debet existimare, se eam ullo opere iterum consecuturum præter fidem in Christum, id est, si verè secum statuatur, DEUM remittere sibi peccata gratis propter merita & intercessionem Filii. Hac fides imprimis exercenda est, ut quæ in tota vita omnibus actionibus prælucere debet, quæq; sola verè gratiam, remissionem peccatorum & jus vitæ æternæ consequitur.

XXIV. Quamvis autem illa principalia & essentialia Christianismi bona nullo bono opere, præter fidem, obtinentur, non tamen propterea inutile aut frustra est studium pietatis, sed consequitur

B

alia

alia dignissima & summa præmia in hac & futura vita, ut augmentum donorum spiritualium, sapientia, virtutis, lætitiæ, tranquillitatis, felicem successum officii, miras liberationes &c. 1. Tim. 4. 8.

XXV. Ista præmia bonis operibus obtinentur, non ex iustitia & merito propriè dicto, quasi tanta esset illorum operum perfectio, eaq; conditio, ut iis talia præmia debeantur à DEO; sed ex gratia & liberalitate DEI, cui placuit imperfectam suorum obedientiam adeò copiosè & uberrimè præmiare. Ideò sanctos ea præmia mereri non rectè dixeris, nisi voce illa latè & impropriè utaris.

XXVI. Pontificii faciunt duplicia bona opera. Quædam antecedunt gratiam, fiunt ab homine convertendo, ex viribus nature, quando peccator facit, quod in se est & pro se; & hæc opera statuunt mereri de congruo primam gratiam seu infusionem gratiæ & charitatis: Quædam verò sequuntur gratiam & justificationem, fiunt ab homine converso, ex habitu sanctitatis infuso, de quibus nunc potissimum disquiritur.

XXVII. De hisce bonis operibus statuunt, non modo quod consequantur augmentum gratiæ & ipsam vitam æternam, sed quod etiam verè eadem mereantur, ex congruo quidem, ut nonnulli; ex condigno, ut pleriq; pontificii asserunt, supponentes, ea opera esse adeò perfectà juxta legis sententiam, ut eis ex iustitia debeat vita æterna.

XXVIII. Detestanda autem cæcitas fuit, cum tale meritum vite, non solum verè bonis operibus, sed etiam operibus humanitatis inventis, absurdis & inhonestis tribuerunt, cumq; se iis adeò abundare opinati sunt, ut ea pro pecunia vendere & aliis applicare possent.

XXIX. Ne autem fingere aliquid videamur, ipsos Pontificios audiemus, Concil. Trid. in sess. 6. can. 16. §. 33. si quis dixerit hominem justificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam & Jesu Christi meritum fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam & ipsius vite æternæ (si tamen in gratia discesserit)

scesserit) consecutionem, atq; etiam gloriæ augmentum anathema sit. Lindanus asserit, bona opera esse peccatorum prius admissorum expiationes & propitiationes, Andradius disputat felicitatem sempiternam non minus justorum bonis operibus deberi, quam æternos cruciatus impiorum sceleribus; item meriti & mercedis rationem cum gratiæ nomine ex adverso pugnare, atq; ideò vitam æternam tanquam mercedem non debere secundum gratiam imputari bonis operibus. Bellarminus alibi asserit, bona opera ex congruo non ex condigno mereri; alibi verò expressè affirmat, ea de condigno mereri, & hanc esse communem Catholicorum sententiam, sicut hoc illi meritò exprobrat Rev. Dn. D. Gerhard. Tom. 4. seu de bonis oper. §. 110. Becanus part. 1. Theol. Schol. tract. 4. c. 5. qu. 1. & seq. sic sententiam Pontificiorum explicat. Meritum, inquit, est duplex: de congruo, quod ex justitia non meretur compensationem, sed tamen ex quadam congruentia seu honestate: & de condigno, cui ex condigno seu ex justitia debetur retributio seu merces. Ut aliquod opus sit de condigno meritorium, quinque conditiones necessariae sunt: 1. sit moraliter bonum, 2. voluntarium & liberum, 3. hominis viatoris, 4. procedat ab homine existente in statu gratiæ, 5. accedat divina acceptatio vel promissio de compensatione facienda. Præterea negat hominè mereri primam gratiam actualem, qua excitamur ad fidem vel dolorem de peccatis. Negat hominè mereri primam gratiam justificantem. Affirmat autem cum omnibus Pontificiis (sic ipse loquitur) hominem justum per bona opera mereri augmentum gratiæ & justitiæ de condigno, ut & ipsam vitam æternam.

XXX. Quamvis autem variae sint in hac materia propositiones, quibus una ratione contradicere nec possumus nec debemus, hac vice tamen præcipuam tantum seligemus, eam scilicet: Bona opera de condigno merentur vitam æternam. Huic opponimus hanc contradictoriam: bona opera non merentur de condigno vitam æternam. Ideo negamus

inter renatorum opera & vitam æternam (quin & gradus illius) esse respectum causa meritoria.

XXXI. Hanc sententiam etsi plurimis statuminare queamus rationibus, nunc tamen brevitatis studiosi paucis modò id effectum dabimus, ita tamen ut hac in re anxie menti satis fiat.

Primum autem argumentum ex gratuita Electione deducimus. Quicquid DEUM non movit tanquam causa meritoria ad electionem, ut hominem ad vitam æternam eligeret, illud etiam DEUM non movet ut causa meritoria ad salvationem, ut homini ipsam æternam vitam largiatur.

Sed bona opera renatorum non moverunt eum ad electionem &c. E.

Major est firmissima. Nam propter quod DEUS ab æterno constituit homines salvare, propter illud quoque eos in tempore salvat. Eadem sunt causæ & merita electionis & salvationis, quæ se respiciunt ut propositum & propositi executio. Nec DEUS aliter in tempore agit, quam qualiter ab æterno agere constituit.

Quod autem bona opera non moverint DEUM ut causa meritoria ad Electionem, patet. Quia Electio facta est ex gratia, ut Bellarm. ipse ex Luc. 12. 32. Joh. 15. 16. Rom. 9. 11. Ephes. 1. 4. & 5. probat. Quod autem ex gratia est, non est ex meritis operum, Rom. 11. 6. Deus in electione non respexit ad volentem aut currentem, sed secundum suam gratuitam misericordiam egit Rom. 9. 16. Sumus electi, ut essemus sancti, non quia eramus sancti. Ephes. 1. 4.

XXXII. II. Argumentum suppeditat nobis gratuita justificationis causa. Per quod homines non merentur justificationem, per illud non merentur vitam æternam. Sed per bona opera homines non merentur justificationem. E.

Major probatur. Quia eadem sunt salvationis ac justificationis causa, & quia justificationis completitur DEI gratiam, remissio-

missionem peccatorum, ut dicitur & ipsam vitam aeternam hereditatem. Constituimur enim per justificationem filii, & consequenter heredes Rom. 8. 17. Gal. 4. 2.

Minor. Justificamur gratis & ex gratia Rom. 3. 24. cap. 4. 16. Fide Rom. 3. 26. Gal. 2. 16. fides autem operibus in hoc articulo opponitur Rom. 4. 4. 5. ideo justificamur sine operibus Gal. 2. 16. Rom. 3. 20. plura fundamenta alibi adducuntur.

XXXIII. Argumentum III. à peccati reliquiis in sanctis deducimus. Quicumque sunt & manent ex parte carnales peccatores, bonum quod volunt, non faciunt, sed malum, quod nolunt, faciunt, adeo ut quotidie precari necesse habeant: Domine, remitte nobis debita: in operibus non possunt ex condigno vitam aeternam, sed mortem potius mereri. Renati sunt & manent ex parte carnales, peccatores &c. E.

Propositionem convellere nemo potest. Si enim opera moraliter bona, juxta pontificios, merentur ex condigno premia & vitam aeternam, multo magis opera moraliter mala, quibus potius ratio meriti competit, merebuntur penas & mortem aeternam. Ubi consideranda severitas justitiae divinae, quod qui in uno delinquit, omnium est reus Jac. 2. 10. & quod reatus & mors per unius peccatum in omnes Rom. 5. v. 16.

XXXIV. Minorem probamus non modo ex dictis; Rom. 7. 2. Reg. 8. 46. Eccles. 7. 21. Prov. 20. 9. Job. 14. 4. & perpetua sanctorum justificatione; illi enim usque ad mortem justificantur: justificari autem est accipere remissionem peccatorum; sed etiam ex agonizantium confessione & praxi. Sancti potissimum in agone sentiunt vim peccati & legis, terrores mortis; fatentur sua peccata, & se meritos aeternam mortem: confugiunt ad gratiam & merita Christi: petunt absolutionem: accipiunt corpus & sanguinem Christi pro peccatis suis traditum & effusum. E. sancti in agone quoque sunt gravissimis peccatis onerati.

XXXV. IV. Argum. ex defectu conditionum meriti

B 3

dedu-

deducimur. *Quæcunq;* actiones 1. non ex nostris propriis, vi-
ribus proficiuntur, 2. DEO aliàs multis nominibus debentur,
nec 3. ulla ex parte præmiis æternis sunt æquales & pro-
portionatæ, sunt 4. imperfectæ & immundæ, illæ non merentur
à DEO ex condigno vitam æternam. Actiones bonæ Re-
natorum sunt tales. E. Major probatione non eget; Minorem
autem sic adstruimus, 1. Opera sanctorum non proveniunt ex
propriis ipsorum viribus, sed ex nova efficacia & operatione spi-
ritus sancti, qui novas spirituales qualitates in anima nostra
accendit, conservat, fovet, & omnes inde provenientes actiones di-
rigit, juvat, moderatur, sine qua assistentia & impulsu non ad mo-
mentum in studio bonorum operum persisteremus. Hæ vires
& qualitates potius nos æternos DEO debitores constituunt,
quàm ad promerendum aliquid à DEO valent. *Joh. 15. 5. Phil.*
1. 29. 2. Cor. 3. 5. 1. Cor. 12. 13. 2. Opera nostra antea sunt
DEO debita. DEUS hominem & omnia ipsius causa creavit;
clementer conservat: Filius suo sanguine ipsum redemit: Spiritus
sanctus regnavit & sanctificavit. Hæ sunt actiones verè meri-
torie, proprie enim sunt, indebitæ, utilissimæ & summæ. Potestne
homo unquam cogitare, se DEO pro hisce meritis mercedem per-
soluisse, aut persolvere posse? Nunquam pro hisce beneficiis suffi-
cientes gratias agit DEO suo, nec in æternum potest. Quæ igitur
ista est dementia, quod gloriatur & confidit, se operibus nova
& majora beneficia, ipsam scilicet æternam gloriam promeriturum.
Nunquid Dominus gratiam habet servo quia fecit, quæ illi præce-
pta fuerunt, non puto, ait Salvator *Luc. 13. 9.* Ita & vos, cum
omnia feceritis, quæ præcepta fuerunt vobis, dicite, servi inutiles,
quia quod debuimus facere, fecimus. *v. 10.*

XXXVI. 3. Opera nostra sunt inæqualia, & nulla ratio-
ne proportionata ad præmia illa æterna. Quæ enim est pro-
portio inter hominem operantem & DEUM præmiantem,
inter humanam infirmitatem atq; indigentiam & inter divinam
maje-

majestatem & opulentiam, inter terrenam vitam & caelestem gloriam, inter momentaneum studium & aeternum premium. Non sunt condigna passionis nostrae, ad futuram gloriam, quae in nobis revelabitur, inquit Apostolus Rom. 8. vers. 18.

4. Opera nostra sunt imperfecta & immunda. Esai. 64. vers. 6. imperfecta ratione partium, quia multa bona omittimus & mala omittenda facimus; & ratione graduum nunquam enim ad eam perfectionem, quam lex requirit, ascendunt. Unde rectè Hieron. l. 1. ad Pelag. Haec hominibus sola perfectio, si imperfectos se esse noverint.

XXXVII. V. Probamus sententiam nostram à merito Christi. Quicquid CHRISTUS suis operibus nobis meruit & obtinuit, illud nos nostris operibus non mereamur & obtinemus. Sed Christus suis operibus nobis gratiam, justitiam & vitam aeternam meruit & obtinuit. E.

Propositio est evidens. DEUS enim non est tam iniquus, ut pro eo, quod Christus suo sanguine nobis acquisivit, novum à nobis pretium petat. Nec sapientia Filii aeterni admittit, ut ipse tam caro pretio acquisiverit, quod homines mereri ipsi potuissent.

Assumptionem scriptura uberrimè declarat, cum testatur, quod Christus seipsum pro nobis piacularem hostiam in ara crucis obtulerit Eph. 5. 2. Eum qui non novit peccatū, DEUS pro nobis fecit peccatū 2. Cor. 5. 31. Ipse est ἱλασμὸς pro peccatis nostris. 1. Joh. 2. 2. Cum nos captivi essemus Col. 1. 13. 2. Tim. 2. 26. Ipse factus est Redemptor noster, Job. 19. 25. Matth. 20. 28. 1. Cor. 1. 30. pretium autem persolvit, non per nostra opera, sed ipsam vitam suam Matth. 20. 28. & sanguinem suum Matth. 26. 28. Ephes. 1. 7. Ubi autem est peccatorum remissio, ibi & vita & salus. Unde & ipse vita nostra est Joh. 14. 6. Qui credit in eum habet vitam aeternam Joh. 3. 16.

XXXVIII.

XXXVIII. Nec verò Christus actionibus & passionibus suis ita nobis meritus est gratiam & vitam æternam, ut saltem aliquis qualitatibus novæ infusionem nobis acquisiverit, ex qua postea nos ipsi benè operari, legem implere, & sic propriis operibus mereri vitam debeamus ac possimus, ut Adversariis nostris placet.

XXXIX. Scriptura hac de re prorsus nihil novit. Nec dicit, Christum propterea esse mortuum, ut postea per nostra opera obtineri vita queat: sed expressè affirmat Christum per se ipsum fecisse mundationem peccatorum nostrorum, Hebr. 1. 3. suo sanguine nos redemisse, sua obedientia acquisivisse nobis vitam; sua morte potestatem Diaboli evertisse Hebr. 2. 14.

Ubi considerandum ulterius. 1. quod Christi obedientia & sanctitas tantæ sit ob dignitatem personæ & suam intrinsicam perfectionem excellentiæ & valoris, ut cum ea totius generis humani bona opera conferri nulla ratione possint, quodq; sit sufficientissima ad promerendum mundo vitam æternam. 2. Quod non sint duæ diversæ causæ meritorie salutis nostræ, Christi obedientia & nostra, ubi illa primam gratiæ infusionem & salutem inchoatam nobis acquisiverit; hæc autem ipsam vitam æternam & salutem consummatam consequatur. Hæc enim ratione nostræ obedientie multò major effectus adscriberetur, quàm obedientie Christi, & salus magis assignaretur nostris, quàm Christi operibus, siquidem in causis subordinatis effectus causæ particulari & proxime magis assignatur, quàm universali & remote.

XL. VI. Tandem & illud perpendendum. Si Judæi terram Canaan non propter operum suorum merita, sed ex gratuita Dei benignitate obtinuerunt: Si omnes pii quotidianum panem ex condigno mereri non possunt, multò minus suis operibus vitam æternam ex condigno merebuntur. Sed verum est prius. E. & posterius. Ratio consequentiæ in Majori non tantum ex natura similitudinis, sed etiam ex natura majoris & minoris

minoris sumitur. Extra dubium autem est, terram Canaan ty-
pum fuisse caelestis patriæ; deinde inter eam, ut & humane vitæ
necessitatem & inter æternam gloriam vix esse comparationem. Si
ergo nec Judæorum opera terræ sanctæ, nec cujusvis pii opera pa-
nis quotidiani sunt verè meretoria, manifestum est, nec ea vitam
æternam mereri posse. Dominus autem expressè prohibet Deut. 9. 4.
Ne dicas in corde tuo, cum propulsaverit DEUS hostes tuos à fa-
cie tua, in justitia mea introduxit me Dominus ad possidendum ter-
ram istam, v. 5. non in justitia tua & in rectitudine cordis tui in-
grederis ad possidendum terram earum, sed ut consumet Dominus
verbum, quod juravit patribus tuis, Abraham, Isaac & Jacob, &
scito, quod non in justitia tua Dominus DEUS tuus det tibi terram
bonam, v. 7. Sic cum pii in oratione Dominica petunt: panem
nostrum quotidianum da nobis hodie, fatentur quod vis panis fru-
stulæ esse DEI donum, à DEO precibus ex gratia postulandum.
Huc pertinet cum Patriarcha Jacob dicit Gen. 32: minor sum Do-
mine cunctis miserationibus tuis. Quæ igitur cecitas esset, asserere,
nos operibus vitam æternam mereri, quibus ne frustulum quidem
panis debetur?

XLI. VII. Neq; prætereundus consensus Antiquitatis est,
quæ hac in controversia à parte nostra sterit. Sic Irenæus l. 5. c. 4.
DEUS huic mortali immortalitatem circumdat, & corruptibili
incorruptibilitatē gratuitò donat, quoniam virtus DEI in infirmi-
tate perficitur, ut non quasi ex nobis ipsis habentes vitam inflemur
aliquando & extollamur, ad versus DEUM ingrati mentem ac-
cipientes, experimento autem dicentes, quoniam ex illius magnitu-
dine, & non ex nostra natura habemus in æternum perseveran-
tiam.

Hieron. l. 1. adv. Pelag: in Deuteronomio perspicuè demon-
stratur, non in operibus nostris atq; justitia, sed DEI misericordia
nos conservari, dicente Domino per Moysen: ne dicas in corde tuo,
cum subverterit eas Dominus DEUS à facie tua, in justitia mea in-

C

tro-

eroduxit me Dominus. Idem in c. 5. Ep. ad Rom. Nemo suo merito, sed aequaliter DEI gratia sunt salvi.

Augustinus lib. de gratia & lit. ait. c. 9. in Psal. 70. cant. 2. Serm. de Verbis Apost. & aliis plurimis locis à nostra salute meritum planè excludit. Plura testimonia alibi collecta perlustrari possunt.

XLII. Huic orthodoxa sententia Pontificii varia opponunt, qua quamvis nunc universa examinare non possimus, unum tamen & alterum breviter dispiciemus.

XLIII. Primum suæ causæ præsidium quæruunt in voce mercedis, qua appellari in scripturis vitam æternam disputant. Discursus esset talis: Quicquid dicitur (& est propriè, addere debebant) merces nostrorum operum, illud nostris operibus ex condigno meremur,

Sed vita æterna dicitur merces nostrorum operum Matth. 5. 12. Matth. 20. 8. E.

XLIV. R. Sed voces infirmam suppeditant probationem, utpote quæ sæpe homonyma sunt & variè significant, ut hæc ipsa, merces. Nonnunquam enim 1. id propriè denotat, quod alterius labori & operi ob dignitatem vel utilitatem ex justitia debetur; interdum verò 2. id quod ex gratia & liberalitate non iuxta proportionem aut dignitatem operis promittitur & donatur, illud mercedem debiti, hoc gratiæ, illam legalem hanc Evangelicam rectè dixeris, cuius significationis vestigium non modò Rom. 4. v. 4. Matth. 20. v. 8. seq. sed etiam in antiquitate ubiq; deprehenditur. Major itaq; si ex nuda appellatione sive propria sive impropria procedat, cuius nulla apparet.

Ad hæc ipsa vita æterna Merces non vocatur, sed in vita æterna, in cælis dicitur copiosa merces piis reposita esse Matth. 5. 12. qua sine dubio præmia accidentalia & gradus gloriæ in cælo indignantur.

Probandum verò esset pontificiis sive ipsam vitam æternam,
sive

sive gradus propriè vocari mercedem, quòd facere non possunt, nisi ex aliis dictis conditiones propriè dicti meriti, operibus Sanctorum convenire, ostendat. Nos vero, quia contrarium manifestum fecimus supra rectè colligimus vocem, mercedis in illis dictis impropriè accipi, cum verò vita eterna χάρισμα Θεῶ, donum DEI dicitur Rom. 6. v. ult. & χάρις 1. Petr. 2. 10. 13. voces propriè notare, quia res ipsa seu significata ex scriptura & analogia fidei sunt demonstrata.

XLV. II. Alterum sententia sua fundamentū Pontificii collocant in iis dictis, quæ Deum aliquando secundum opera hominibus redditurum asserunt, ut Ps. 61. 13. Matth. 16. 27. Luc. 6. 38. Rom. 2. 5. 1. Cor. 3. 8. Gal. 6. 8. Apoc. ult. 2. Syllogismus hic existit: Quod DEUS aliquando secundum opera hominum distribuet, illud opera ex condigno & verè merentur. Vitam æternam DEUS aliquando distribuit secundum opera. E. opera vere & ex condigno vitam æternam merentur.

XLV. I Sed quomodo astruent suā Majorem adversarii, & illud secundum necessario inferre respectū causæ verè meritoria? Particula secundum in genere significat respectum, quo antecedens infertur ad consequens ratione certæ qualitatis. Illud autè antecedens potest esse vel causa principalis, vel verè meritoria vel simpliciter & non ut causa antecedens, sed conditio aliqua liberè requisita. Sic Rex aliquis aut paterfamilias peregre rediens agit cum sua familia secundum opera interim præstita, distribuit servis præmia & pœnas secundum opera, distribuit filiis secundum opera, morigeris excellentia dona, immorigeros castigat, ut est autem servorum opera illorum præmiorum verè fuerint meritoria, quod tamen ipsum etiam non est necesse, nunquid inde inferre licebit, & filiorum vitam illa præmia verè & ex condigno promeruisse? Sensus itaq; istorum dictorum est. DEUS agei secundum opera. i. e. non temerè aut injustè judicabit, bonitatem aut malitiã operum non attendendo, sed respiciet ad qualitatem operum, bo-

na premiis mala vero panis afficiet; operanti fidem (nam qui credit, dum credit, operatur DEI opus. Job. 6. 29. & facit voluntatem patris. 1. Job. 3. 21.) recipienti meritum Christi & ex hac fide diligenti, dabit ex summa gratia aeternam vitam, & in ea certa premia. Sed malè operanti, permanenti in incredulitate, diligenti tenebras, contemnti Evangelium & in peccatis perseveranti mortem aeternam adjudicabit, & varios in ea cruciatus.

XLVII. 3 Præcipuè verò urgere contra nos solent dictum Matth. 25. Venite benedicti, possidete regnū Esurivi en. & dedistis imbi manducare &c. Probatio ex eo sic constitueretur: Quicumq; aliquando obtinebunt regnum cælorum, quia Christum cibaverunt, potarunt &c. ii hisce operibus verè & ex condigno regnum cælorum merentur. Pii obtinebunt regnum cælorum, quia Christum cibaverunt, potarunt &c. E.

XLVIII. R. Particulæ, Quia, enim, non semper sunt causales, significantes verā reicausam principalē vel meritoriā, sed sæpe ratiocinativæ quæ antecedens probant ex aliis locis, nec dicunt, cur prædicatum in fit, sed tantum, quod in fit. Sic dici potest: Veni & accipe hanc hereditatem, quia tu filius es, quia pater tibi reliquit, quia tu hunc annulum, quia tu has literas affers. Non tamen sequitur, afferre hunc annulum, hasce literas, esse causam meritoriam hereditatis, cum tantum signum esse possit, hunc, qui affert, esse verè demortui filium. Sic Filius DEI aliquando dividet homines in duas classes, quarum unam ad dextram suam, alteram ad sinistram collocabit. Illis dicet: Vos benedicti estis, venite vos, accipite regnum, quia vos benefici fuistis in pauperes. Non vero sequitur: Ergo illa beneficentia est causa meritoria, cum signum esse possit, illos verè fuisse Christianos renatos, sanctificatos fide & à DEO benedictos,

XLIX. Antecedentia textus causas vitæ aeternæ non obscure recensent.

1. Sunt benedicti à patre, sunt affecti omni benedictione (bono) spiri-

spirituali in supercaelestibus in Christo. Eph. 1. 3. sunt electi à Deo in Christo ante mundum. v. 4. redempti per sanguinem Christi acceperunt remissionem peccatorum v. 7.

2. Sunt fideles, credunt in Christum Jesum, quod is peccatum mundi abstulerit, quod per illius obediendam habeant remissionem peccatorum, gratiam & vitam aeternam.

3. Sunt adoptati à DEO sunt filii DEI, ideo & heredes regni, iam obtinent jus vitæ aeternæ, non quidem ex debito, ob merita, sed ex gratia & dilectione, qualis est parentis erga liberos.

4. Sunt quoque benefici, misericordes, benefaciunt pauperibus, quod certissimum est charitatis & verae fidei indicium. Christus ergo dicere potuit: Accedite vos & accipite regnum, quia vobis pater meus benedixit, quia vos creditis in me, quia vos heredes estis regni, quia vos benefici fuistis erga pauperes. Quis autem facile videt, quam diversum respectum benedictio DEI, fides Christiana, adoptio & deinde opera illa misericordiae ad saluationem habeant.

L. Sic impiorum damnationem multa antecedunt:

1. DEUS eis maledixit i. e. non elegit, non adoptavit, sed repro-
bavit, non remisit, sed imputavit eis peccatum.

2. Non credunt, sed contemnunt Evangelium.

3. DEUS Satanæ eos tradidit, declaravit eos suos hostes.

4. Sunt immisericordes, avari, scelerati, non benefaciunt miseris, sed potius eos opprimunt.

His quoque Christus dicere potuit: Abite in ignem infernalem. Quia Deus vobis maledixit. Quia vos non creditis, sed contemnitis gratiam & beneficia mea. Quia hostes DEI estis. Quia immisericordes non benefecistis pauperibus.

LI. Pontificii itaque probent, particulam Quia hoc loco causam principalem salutis & vitæ aeternæ verè meritoriam significare, non verò signum aliquod illius subjecti beandi, quod ex aliis locis erit faciendum: Sicut nos ex clara literâ & analogiâ fidei de-

decimus causam principalem nostræ æternæ salvationis esse gratiam DEI verè meritoriam sacrosanctam obedientiam cœlestis Isaaci, instrumentalem ex parte nostra apprehendentem solam fidem; Signa a. fidei & effectus adjuncta & qualitates fidelium esse bona opera.

Cur vero Christus ibi non causam principalem vel Instrumentalem, sed signū adducturus sit, ratio est, quod Christus ibi ager publicè coram augustissimo Angelorum & hominum conspectu, quibus Gratia DEI seu benedictio, fides quoq; aliorum, ut quæ omnia interna, invisibilia & spiritualia sunt, ita clarè innotescere non potuit. Opera autem illa misericordie, tanquam signa externa iis nota esse possunt.

LII. IV. Voce dignitatis contrarios abutuntur, adducentes testimonia quædam scripturæ, in quibus pii digni Deo dicuntur & vita æterna.

Quare pii digni sunt, illam merentur ex condigno suis operibus. Pii sunt digni regno DEI, seculo futuro & resurrectione, quò trahunt dictum 2. Theß. 1. 5. Luc. 20. 35, Apoc. 3. 4. Sap. 3. 5. Luc. 10. 7. E.

LIII. R. Flacio in voce DIGNUS rectè notavit, eam non semper dignum meritoriè, sed sæpe idem quod conveniens & idoneum significare, exempla ibi videantur.

2. Dignitas non semper præsupponit in persona meritum propriè dictum, sed interdum quædam bona animi, vel corporis vel fortunæ, ob quæ illi laus honor aut præmium convenire videtur. Unde alius est dignus præmio ex merito, alius ex officio, alius ex beneficio. Et dignatio alia est debita, alia beneficiaria, alia legalis, alia Evangelica, alia activa, alia passiva, alia inhærens, alia imputata. Digni dicuntur credentes vita æterna, sed ex gratia, dignitate non legali, sed Evangelica, non activa, sed passiva, non inhærente, sed imputata.

3. Infantes baptisati, & mox post regenerationem decedentes
digni

digni erunt futuro seculo atq; resurrectione, & qui ambulent cum Christo in albis, his tamen ipso Bellarm. fatente l. 5. de Justif. c. 5. non meritoria dignitatis, sed solo hereditatis jure vita aeterna ex gratia contingit.

4. Jacob dicit, Gen. 32. 10: Minor sum, Domine, cunctis miserationibus tuis. Daniel c. 9. 7. Tibi, Domine, justitia, nobis confusio faciei. Johannes natorum maximus: Non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti eius Job. 1. 26. Quis credet hos sanctos se unquam meritorie dignos vita aeterna censuisse.

5. Pii Ergo idonei ad vitam aeternam vel digni vita aeterna dicuntur non ex justitia & debito, sed ex gratia, non ob inherentem justitiam, sed ob obedientiam Filii DEI apprehensam.

Sicut Ergo Paulus natura vel merito suo non erat dignus Apostulatu, ut ipse fatetur. 1. Cor. 15, 9. gratia autem DEI erat jam Apostolus. Sicut ex se tanquam ex se non erat idoneus ad cogitandum aliquid boni, aut ad convertendum ullum hominem; Erat tamen idoneus ex gratia DEI. 2. Cor. 3. Sic pii ex se per se non sunt idonei aut digni vita, quod autem jam idonei sunt, hoc est ex DEO, qui ex gratia fidem Christi in eis accendit, peccata eorum aufert, justitiam Filii imputat. Gratias agimus DEO patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Col. 1, 12.

LIV. V. Confugiunt ad justitiam DEI, ex qua cum praemia operibus nostris redditum iri dicatur, ea nos proprie mereri audent:

Quicquid bonis operibus ex justitia redditur illud, bona opera ex condigno merentur. Vita aeterna bonis operibus ex justitia redditur. Quia vita aeterna vocatur Corona justitia, quam reddet justus iudex, 2. Tim. 4. 8. justum est apud DEUM, retribuere tribulationem his, qui tribulant vos, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum 2. Thess. 1. 6. Non est injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri. Hab. 2. 6, 10. Ergo bona opera vitam aeternam merentur.


LV, R,

50
LV. Resp. 1. Lutherus in Enar. Evang. 1. Adv. diligenter hoc ob-
servavit, justitiam DEI in S. literis significare gratiam & mi-
sericordiam DEI per Christum in nos effusam, per quam coram
DEO reputamur justis, vide Psal. 51. 16. Ps. 143. 1. Dan. 9. 16.
Rom. 3. 25. 1. Job. 1. 9. Sic DEU Scorenat suos gratia & miseri-
cordia Ps. 103. 4. dum ipsos gloria aeternae vitae decorat. 2. Rom. 4.
ult. Paulus totum restorationis beneficium voce justitiae
complectitur. Christus propter iustitiam nostram resuscitatus est. e.
ut in nobis justitia perfecta, perfecta sanctitas & caritas restaura-
retur: Quamvis a. Christus in hoc seculo primitias illius justitiae
sanctificando credentibus concedat, perfecte tamen & complete ean-
dem in futuro distribuet, eaq; tanquam omnium ornamentorum
summo ipsos coronabit. Verè itaque illa justitia, illa sanctitas, illa
lux sapientiae & charitatis corona & decus piorum erit, cuius
tamen primitia & complementum est ex gratia & merito Christi,
eis conferendum, qui fidem retinent. v. 7. c. 4.

3. Christus non modo hereditate ut Filius certum pos-
sidet, sed etiã id nobis merito passionis, ut Mediator obtinuit,
Bernh. piè censente. Nec dubium est, quin admiranda illa & con-
summatissima aeterni Filii obedientia ex rigore justitiae vitam aeternam
exposcere queat. Quia vero illa Christi obedientia per fidem verè
sit nostra, sicut nostra inobedientia ipsi verè fuit imputata & impo-
sita Jerem. 23. 6. 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. 21. Esai. 53. 4. 5. Ideo fide
vi hujus ex gratia donata obedientiae, ex justitia petere aeternam
vitam possumus. Nec tamen inde ulla ratione consequitur, nos ean-
dem propriis meritis obtinere.

Reliqua nonnulla adversae partis argumenta publicae disqui-
sitioni & alii occasione jam reservanda fuerunt. Hic concludi-
mus, Filium DEI venerati supplices, caeleste verbi sui lumen in-
ter nos clementer conservet, quò luceat vera lux fidei in Germa-
nia; & alii etiam videant Bona opera nostra; sicq; in terris cele-
bretur, Pater caelestis, cui sit

LAUS, HONOR, GLORIA AETERNA.



B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

IO THEOLOGICA
De
RUM OPE.

MERITIS,

n erroribus opposita,

Quam

GUBERNANTE,

teriorum jussu,

SS. Theologia Licentia
blico examini

In

psiensium Academia
& VI. Februar.

Subjicit

AS Groß/ VVitteberg. ad D.
iaconus & SS. Theologiæ ac He.
Pædagogio Ducali Professor
designatus,

I P S I Æ

at Henning. Köler.

M. DC. XXXIV.

mdccc

